

ribus regularibus. Igitur et personæ in ipsis domibus residentes quemadmodum regulam religionis observare tenentur, ita etiam servabunt jura adnexa domui et Ecclesiæ, sola excepta libera et plena exemptione a jurisdictione Episcopi ob paucitatem numeri religiosorum juxta Decretum Innoc. X. Quare conservabunt etiam jus funeris parochum proprium excludentes, et ipsis in omnibus applicari poterunt normæ juris, quas supra de regularium funere exposuimus.

39. Quid vero dicendum de regularibus a civili potestate e propria domo expulsis, et incolentibus privatam domum in civitate vel pago?

Resolutio juridica, quod sciam, nulla data adhuc est. Verum si ex auctoritate Superioris regularis et præsertim si ex venia S. Sedis religiosi vitam in communi degant servantes formam instituti proprii, non dubito quin et ipsi independentes sint censendi a jurisdictione parochi etiam quoad funus quoties vel in Ecclesia proprii ordinis, vel in aliqua ecclesia sibi adsignata funus agere possunt. Isti enim coram auctoritate ecclesiastica adhuc regulares sunt et solummodo eorundem exemptio limitata est juxta decretum 'Uti in parvis' Innoc. X. Conf. Instruct. S. Pœnitentiariæ diei 18. Aprilis 1867. Tandem in hac re adnotandum esse censemus tum quoad jus ipsum funeris et associationis tum quoad modum quo exerceri debeat tum quoad quartam emolumentorum funeris plurimum valere statuta synodalia, et decreta episcopalia, quæ tamen juri communi non adversantur, necnon consuetudines locorum legitime præscriptas. Hinc S. Congregatio non semel, immo forsitan quoties occasio sese obtulit, invocavit consuetudinem locorum. Ita in citatis *Pergulana et Tiburtina* atque in nuperrima *Foroliviensi*.\*)

#### TITULUS XXIX.

### De parochis et alienis parochianis.

1. Primis Ecclesiæ sæculis populus fidelium, et presbyteri cæterique ministri adunabantur in sacris officiis peragendis cum proprio Episcopo. Aucto deinde numero fidelium ab Ecclesia cathe-

\*) Vide etiam de Crematione, Cavagnis Jus publ. eccl. lib. 4. n. 158. et seqq.

drali auctoritate Episcopi mittebantur presbyteri ad solatia plebium, sed inde ad cathedralem reversuri. Quapropter appellabantur *visitatores, circumcursatores, circuitores*. Factum vero inde est ut etiam in pagis erigerentur templa, et in ipsis constituerentur ministri. Hæc disciplina primum incepit in Ecclesia orientali. In Ecclesia autem occidentali sæculo IV. id contingit.

2. Presbyteri qui Ecclesiis istis minoribus addicebantur appellati sunt *Cardinales* vel *Cardinati*, veluti cardines adfixi Ecclesiæ c. 5. *Dist. 71. c. 42. can. 7. q. 1.* Dicti etiam sunt presbyteri *Vicarii* vel etiam *Forastici* a vicis et foris ad quæ mittebantur. Appellati insuper sunt *Plebani* c. 40. *elect. Rectores* c. 3. *De vita et honest. cler. Proprii Sacerdotes* c. 12. *De pœnit. et remissionibus*. Tandem dicti sunt *Parochi*, et Parochiæ, vel Parœciæ dicta sunt loca intra quorum fines isti presbyteri officium suum exercebant *can. 35. De Conf. Dist. 1.* Quare christiana plebs quæ tota, et immediate ab Episcopo regebatur et sacramentorum doctrinæque pabulum recipiebat, paulatim divisa est in particulares sectiones quarum cuique præesset proprius sacerdos dependens ab Episcopo. Parochia igitur considerari potest ceu pars diœceseos.

3. Definiri autem potest: 'Certa diœceseos Ecclesia quæ populum certis limitibus distinctum, et Presbyterum seu rectorem proprium habet, qui missione accepta ab Episcopo et sub ejus dependentia eidem populo sacramenta, verbum divinum, et alia spiritualia ordinis spiritualis ex officio administrat.'

4. Ex hac definitione patet quænam requirantur ad Parochiam constituendam. 1º. Requiritur certus locus seu territorium in quo adsit Ecclesia, quæ titulum constituit Parœciæ, et Ecclesia parochialis dicitur. Parochia enim est ad modum diœceseos in qua adsunt determinati fines territorii, et insuper Ecclesia cathedralis. Erectio autem Ecclesiæ in parochiam et circumscriptio loci seu finium perficitur a Rom. Pontifice vel ab Episcopo ita ut nemo alius possit hanc peragere erectionem *can. 11. c. 16. q. 7.* Parochialis enim potestas est participatio pastoralis officii quod de jure divino proprium est Episcopi.

5. Concilium vero Trid. in *sess. 24. c. 13. de Ref.* mandat Episcopis, ut in locis in quibus parochiæ distinctæ non sunt, 'distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a

quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Immo Episcopo etiam ut Sedis Apostolicæ delegato reservatum est novas parochias inter limites antiquæ parochiæ fundare, seu dividere veteres parochias, quando ob distantiam locorum, sive difficultatem fideles careant necessaria parochi assistentia in spiritualibus. De hac re sermo est in Tridentino *sess. 21. De Ref. c. 4.* et de ea innuimus in tit. V. agentes de divisione beneficii.

6. 2º. Requiritur ut unus, et perpetuus rector seu parochus constituatur *c. 15. De præb. et dignit.* Clarius vero hoc requisitum designat Tridentinum in *cit. sess. 24. c. 13. de Ref.* verbis: 'Unicuique (Parochiæ) suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent...' Scilicet ad bonum animarum procurandum necesse est, ut pastor fideles, et fideles pastorem agnoscant. Hinc re inspecta in genere provisum non videtur satis saluti animarum si plebi christianæ modo unus, modo alius præficiatur pastor. Quare Parochiæ institutæ in jure censentur ceu totidem beneficia perpetua. Nec obstat quod aliquando cura animarum sit commissa corpori morali. Nam exercenda est per unum, seu vicarium qui juxta intentionem Tridentini *sess. 7. c. 7. de Ref.* ad vitam seu in perpetuum, si fieri possit, parœciæ præficiendus est. Nec alii de capitulo vel monasterio sese ingerere possunt in exercitio curæ animarum, sed solum conceditur capitulo, vel monasterio exercitium paucorum actuum digniorum quos corpus morale in fundatione vicariæ sibi reservavit.

7. Tertium requisitum est ut Parocho, seu rectori competat potestas ligandi, et solvendi, in foro pœnitentia. Hæc vero potestas competit vi officii scilicet est ordinaria, licet sit participata, seu derivata a potestate episcopali, et eam exercet parochus in omnes suos subditos.

Quæstio fieri potest utrum inter requisita parochiæ etiam numeretur fons baptismalis. Certe intentio sacrorum canonum est ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit fons baptismalis. Quemadmodum etiam docuit S. Congr. Concilii in *Verulana 24. Martii 1736* et aliis omissis in *Urbevetana 3. Aug. 1748*. Hæc vero intentio sacrorum canonum ideo inducta est ut unusquisque Parochus oves sacro lavacro abluens in Ecclesiæ ovile introducat, et

simul certo cognoscat quinam in Christi gregem coaptentur nec non quinam ex legitimis nuptiis fuerint procreati. Hinc optimum est ut parochus proprius consecret initium vitæ suorum fidelium per baptismi collationem in propria Ecclesia.

8. At eodem jure canonico factum est ut præsertim in novis parœciis quæ ex divisione ab antiquis institutæ sunt, non erigetur fons baptismalis, sed jus baptizandi reservaretur priori Ecclesiæ parochiali quæ dicta est Ecclesia matrix et baptismalis. Hinc cœpit distingui inter Ecclesias matrices vel baptismales, et filiales seu simpliciter parochiales, ceu notat Fagnanus *comm. in c. Cum continget n. 54. De decimis* referens solutionem S. Congr. in *Urbinat. 15. Junii 1624*.

Verum ubi locum habent justæ et legitimæ causæ solet facile concedi erectio fontis baptismalis etiam in filialibus Ecclesiis parochialibus. Causæ autem sunt locorum distantia, viarum asperitas aquarum vel nivium copia, quæ solent sæpe sæpius vel ex inopinato impedire accessum ad Ecclesiam baptismalem.

Quod de fonte baptismatis dictum est, etiam de cœmeterio repeti potest. Consonum juri est ut ille, qui consecrat vitæ initia, etiam exuvias mortales in pace Christi sepeliat. At absolute necesse non est, ut in qualibet Ecclesia parochiali adsit cœmeterium.

#### De muneribus parochorum.

9. Et primo quidem sermo sit de munere parochi in administratione sacramentorum. Quamvis Episcopus, si velit, possit absolute loquendo omnia sacramenta in parœcia administrare, tamen in ordine ad alios sacerdotes in parœcia degentes sacramentorum administratio reservatur parocho. *Arg. Clem. 2. De sepult. vers. In Ecclesiis*, et ex principio posito a Tridentino in *c. 13. sess. 24. De Ref.* ubi ait Conc. de Parocho: 'A quo solo (fideles) licite sacramenta suscipiant'. Hæc in genere dicta sint. Nunc aliquid dicendum est in specie. Et primum loquamur de Baptismo. Parochus est qui licite et valide confert in sua parochia sacramentum Baptismi, alii autem sacerdotes, excepto casu necessitatis, solum de ejus licentia licite baptizant. Hinc ipse parochus est proprius custos fontis baptismalis. Debet vero in peculiari libro adnotare nomina baptizatorum et eorundem patrinorum *sess. 24. cap. 2. De Ref. Matrim.*

10. 2°. De Sacramento Eucharistiæ. Non loquimur de consecratione Eucharistiæ, quæ jurisdictionem non requirit. Si sermo sit de dispensatione, hæc reservata in genere non est parochis. Simples enim sacerdotes præsertim sacrificium Missæ celebrantes possunt quoscumque fideles aliquo impedimento non detentos ad sacram communionem admittere. Immo Trid. *sess. 22. De sacr. Miss. c. 6.* desiderat ut in Missis etiam privatis fideles communicent. Verum duo casus excipiuntur. Primo excipitur communio paschalis, quæ in Ecclesia parochiali facienda est, juxta *c. 12. De pœnit. et remiss.* Secundo excipitur delatio Eucharistiæ ad infirmos, seu viaticum, quæ delatio parochis reservatur *c. 10. De celebr. Miss. et Clem. 1. De privileg.*

11. 3°. De Pœnitentiæ Sacramento. Cum parochus ordinariam recipiat potestatem in foro pœnitentia, absque speciali delegatione Episcopi sacramentum pœnitentiæ suis parochianis administrat; *c. 15. sess. 23. de Ref. in Trid.* Immo etiam iisdem petentibus administrare illud tenetur, dummodo nullo canonico impedimento ligentur. In antiqua autem disciplina expressa in *c. 12. De Pœn. et remiss.*, fideles tenebantur parochi proprio semel in anno peccata sua confiteri. Deinde autem cum præsertim ex Trid. in *cit. c. 15. sess. 23.* quisque presbyter approbatus ab Episcopo possit confessiones excipere, hinc ex consuetudine inductum est, ut quisque fidelis tam pro frequentiori quam pro annuali confessione sibi sacerdotem eligeret ex approbatis ab Episcopo. Parochi autem id proprium reservatum est ut confessiones excipere possit suorum parochianorum etiam in alia diœcesi quamvis ab Episcopo loci approbationem non acceperit. Confessionis enim exceptio inter actus voluntarios jurisdictionis recenseri potest, qui etiam extra territorium exerceri valent. Quod etiam resolutum fuisse legimus a S. Congr. Concilii in *Posnaniens. diei 19. Nov. 1707.*

12. 4°. De Sacramento extremæ unctionis. Parochus est qui valide et licite hoc sacramentum in parochia sua administrat; alius vero sacerdos non potest licite administrare nisi de parochi licentia. Immo si sacerdos regularis hoc sacramentum administrat invito vel nesciente parochi nisi muniatur privilegio ad id faciendum, incurrit excommunicationem Rom. Pontifici reservatam: *Clem. 1. De priv.* Hæc pœna renovata est in *Const. Apostolicæ Sedis sub n. 14.* inter censuras simpliciter reservatas Rom. Pontifici: 'Excommunicamus religiosos præsumentes clericis vel laicis extra casum

necessitatis sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.'

13. 5°. De Sacramento Matrimonii. In *cap. 1. sess. 24. de Ref. Matr.* Concilium Trid. constituit formam substantialem contractus matrimonialis perficiendi, et designat Parochum proprium ceu testem qualificatum, et auctorabilem, qui assistit, benedicit et solemnes reddit fidelium nuptias. Alii vero sacerdotes non nisi ex Parochi vel ordinarii licentia matrimoniis assistere possunt. Quare in diœcesi ordinarius testis matrimonialis est 1°. Episcopus, 2°. Vicarius generalis, 3°. Parochus.

14. De parochi munere relate ad Missæ sacrificium. Quod pristina consuetudine observabatur, ut populus fidelis statutis diebus adunaretur cum Episcopo in sacris celebrandis mysteriis, deinde, facta divisione parœciarum, inductum est, ut observaretur in diebus festis cum sacerdote proprio, nempe parochi. Scilicet inductum est ut diebus festis populus ecclesiam parochialem adiret, sacrificio per parochum celebrato assisteret, prædicationem verbi Dei audiret, cognosceret jejunia servanda, et denunciationes exciperet festorum, et Episcopi mandata. Ut vero unio spiritualis major esset voluit Ecclesia, ut parochus missam pro populo celebraret. Conc. Trid. hoc officium Parochi in genere celebrandi pro populo ex divino præcepto derivat *sess. 23. c. 1. de Ref.* Illud vero determinat Bened. XIV. in *Const. Cum semper edita die 19. Aug. 1744* statuens officium esse Parochi ut singulis festis diebus sacrificium celebret pro populo. Ab hoc onere non excusat paupertas parochi. Sed idem Pontifex concessit Episcopis Italiæ facultatem dispensandi cum parochis pauperibus ut possint accipere stipendium pro Missa diei dominicæ sed cum onere infra hebdomadam sequentem celebrandi pro populo. Hæc insuper facultas aliis etiam Episcopis, si exposcatur, solet ab Apostolica Sede concedi.

Onus celebrandi Missam pro populo incumbit Parochi etiam in diebus festis, in quibus ex dispensatione Pontificia non amplius viget præceptum audiendi Missam; *S. Congr. in Camerin. 28. Martii 1801.*

15. Oneri ex parte parochi celebrandi pro populo respondebat obligatio fidelium assistendi Missæ proprii sacerdotis, ut satisfacerent præcepto Ecclesiæ. Et quidem adeo rigide hæc disciplina servabatur ut Parochus, antequam in diebus festis celebraret, plebem interrogare deberet, utrum in Ecclesia adesset alienæ pa-

rochiæ fidelis qui, proprio contempto parochia ibi vellet Missam audire. Quod si adesset, ejiciendus foret *c. 2. h. t.* At ex contraria consuetudine factum est ut hodie liberum sit cuique fideli in toto orbe christiano Missam audire in qualibet publica Ecclesia tam sæculari quam regulari ad satisfaciendum præcepto auditionis Missæ. Quoad Ecclesias regulares jam fuerat concessum a Leone X. in Const. *Intelleximus diei 13. Nov. 1517.* Deinde confirmatum fuit a S. Pio V. in literis Apostolicis datis *17. Kal. Sept. 1567,* et tandem a Clem. VIII. in Brevi *'Significatum' ann. 1592.* Conferri potest Ben. XIV. in op. *De Syn. diœc. lib. XI. c. 14. n. 8.* Quo in loco etiam constituit doctissimus Pontifex opinionem aliquorum canonistarum qui arbitrabantur vigere adhuc præceptum audiendi Missam proprii parochi saltem in solemnioribus festis diebus.

Præ oculis vero haberi debet id quod tradit Trid. in *sess. 22. in decreto de observandis et vitandis in celebr. Miss.* Alloquens enim Episcopus ait: 'Moneant eundem populum ut frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant.'

16. De munere prædicationis. — Parochus vel per se, vel eo impedito, per alios idoneos tenetur diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebem sibi commissam pro sua, et plebis capacitate salutaribus verbis pascere. Conc. Trid. in *c. 2. sess. 5. de Ref.* Quod si Parochus ab Episcopo monitus per trium mensium spatium huic muneri suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas ad Episcopi arbitrium cogi potest ad officium prædicationis explendum. Immo Episcopus potest, si opportunum duxerit, ex beneficii parochialis fructibus partem congruam detrahere, et alteri tradere qui munus prædicationis expleat, donec parochus respiscat. Decreti autem hujus executio nullo modo impediri potest nec infirmari, aut suspendi sive ob consuetudinem contrariam, sive ob exemptionem parochi, vel etiam ob interpositam appellationem aut recursum. Trid. in *cit. loco et c. 4. sess. 24. de Ref.*

17. Porro non requiritur oratio elaborata ad formam rhetorice elocutionis, sed sufficit ut Parochus pascat gregem suum salutaribus verbis, prout docet Innoc. XIII. in Const. *Apostolici Muneris 13. Maji 1723.* Quam Constitutionem, quæ pro Hispania edita erat, omnibus Episcopis veluti exemplar dedit Bened. XIII. in Const. *In Supremo diei 13. Sept. 1724.*

18. Nec admittitur excusatio quod satis provisum sit per publicos annuales concionatores, aut quod exiguus sit numerus fidelium parœciæ. Hæc namque effugia excluduntur a cit. Const. Innoc. XIII. Benedictus XIV. vero in Const. *Et si minime 7. Febr. 1742* ampliavit decretum Tridentinum. In § enim *14.* statuit Pontifex ut Episcopus in Ecclesiis ruralibus etiam non parochialibus, longe a parochialibus, positus decernat, etiam gravibus statutis pœnis, populum ibi edoceri debere christianæ doctrinæ elementa a sacerdotibus ibi sacra operantibus.

Urget etiam Parochum præceptum explicandi fidelibus catechismum diebus festis. S. Congr. Concilii in *Montis Felisci 8. Maji 1706* et aliis omissis in *Nullius Orbetelli 28. Aprilis 1736.*

## TITULUS XXX.

## De decimis, primitiis et oblationibus.

1. Decimæ possunt accipi objective et formaliter. Objective definiri possunt 'pars decima omnium fructuum juste quæstorum ministris ecclesiæ quotannis solvenda ratione sacri ministerii pro eorundem sustentatione'. Ita Hostiensis in summa hujus tit. Formaliter vero seu juridice inspectæ decimæ sunt 'jus petendi partem decimam ex fructibus omnibus juste acquisitis competens ministris Ecclesiæ propter ministerium spirituale.'

2. Quæstio proponitur a DD. quo jure decimæ solvendæ sunt?

Ipsam factam immutationis, substantialis in materia decimarum satis ostendit earundem institutionem esse juris ecclesiastici, et pertinere ad mutabilem disciplinam. At plura loca juris decimas ad divinam institutionem referunt, et earum solutionem divino præcepto adscribunt. Ita præsertim Alex. III. in *c. 14. h. t.* et Innocent. III. in *capp. 25., 26. et 33. h. t.* Ad rei intelligentiam sequens animadversio faciendâ est. In Vet. Test. divina lex expressa *Numeror. et Deut. c. 18.* jubebat, levitis, quibus non fuerat portio terræ tributa, a ceteris tribubus solvendam esse decimam partem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Cum legalia Vet. Test. cessaverint ex promulgatione Novi, et præsertim hac in re, cum non amplius ex una gente vel populo debeant eligi sacrorum ministri, dici amplius non potest vigere adhuc præceptum divinum Vet. Test. obligans fideles ad solutionem decimarum. In novo autem Testamento renovatum fuisse non legimus.